



1655.

1^a 2^b Covringius, Hermannus : De differentiis regnum
2 Sampl.

2. Eichel, Joannes : De justitia et jure.

3. Hahn, Henricus : De summarissimo possessore

4^a 2^b Hahn, Henricus : De transiitione possessionis
in heredes 2 Sampl. 1655 : 1679.

5. Hahn, Henricus : De conductore expellendo ante
finitem locationem.

6. Hahn, Henricus : De jure bus ac immunitatibus H.
ecclesiarum.

7^a 2^b Hahn, Henricus : De annuis redditibus et quatenus illi
justi vel injusti sunt. 2 Sampl.

8. Hahn, Henricus : De rei vindicatione et quae hic
bonae et malae fidei possessiones sunt.

9. Hahn, Henricus .. De testamento valido seu perfecto.

10. Hahnus, Henricus .. De jure utendi fructu ex servitute,
proprie sic dicto

11. Hahn, Henricus .. De fructibus.

12. Hahn, Henricus .. De praescriptione mandatorum
rescriptis et mandatis apponitis.

13. Hahn, Henricus .. De semipluris probationibus
et modis quibus quis ab onere probandi relevet.
Jur.

14. Mehlbeum, Johann .. De contractu emtionis venditionis
et actionibus emti venditi.

le
g
B
P
e
s
P
8

HERMANN SCHMIDT
Philosophie
1870

- 1. Hahn, Henricus De testamento velito in perfectis.
- 2. Hahn, Henricus De iure ulendi fructu ex rebus propriis in dicto
- 3. Hahn, Henricus De fructibus
- 4. Hahn, Henricus De prescriptione iudicialium scriptis et mandatis apponitis
- 5. Hahn, Henricus De scriptis iudicialibus et modis quibus quis ad executionem vellet
- 6. Hahn, Henricus De contractibus iudicialibus et apponitis



12656.

DISSERTATIO INAUGURALIS

JJ.

DE

SEMIPLENIS PROBATIONIBVS ET MODIS
QVIBVS QVIS AB ONERE PRO-
BANDI RELEVETVR

1655, 13

16

Q V A M

DEO OPT. MAX. CLEMENTER ANNVENTE
EX DECRETO ET AUCTORITATE
MAGNIFICI NOBILISSIMI ET AM-
PLISSIMI FCTORVM ORDINIS IN IN-
CLYTA ACADEMIA JULIA
PRÆSIDE

NOBILISSIMO AMPLISSIMO, CONSVLTISSIMO ET
EXCELLENTISSIMO VIRO,

DN. HENRICO *Sahnen* ICTO
ET ANTECESSORE PRIMARIO P.T. DECANO
SPECTATISSIMO DICASTERII WOLFERBYTA-
NI ADSESSORE &c. DOMINO FAVTORE ET PRO-
MOTORE SVO ÆTATEM OB-
SERVANDO

PRO DOCTORIS IN VTROQVE FVRE PRIVILEGIIS
ET HONORIBVS ADIPISCENDIS

Publico examini subijcit

BVRCHARDVS WISSEL HILDESIENSIS

IN NOVI IVLEI AVDITORIO MAIORI,

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS,

AD DIEM XVI OCTOBR.

☉ (o) ☉

HELMESTADII,

Typis HENNINGI MULLERI, Acad. Typog.

CID ID C LV.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.





DISSERTATIONIS INAUGVRALIS
T H E S I S I.

Ræstantiam materiæ ut multis commende-
mus supervacaneum putamus, satis enim i-
psa se commendat.

II.

Semiplenam probationem describimus
probationem imperfectam quæ judici dun-
taxat semiplenam fidem facit, *arg. l. 31. ff. de jurejur. l. 3. C. de reb. credit. l. 5. & 6. C. de probat. Franc. Zoannet, ad l. 4. n. 26. & seq. Cod. de edend. Jerem. Serzerus de jurejur. lib. 4. cap. 10. n. 12.*

III.

Semiplenè autem quid probatur, Primo per unicum
testem, *l. 9. §. 1. C. de testib.* idoneum & omni exceptione
majorem, cui nulla exceptio opponi, nullaque macula im-
pingi potest, quique de facti veritate deque eo quod pro-
prio sensu corporis percepit, deponit, cujusque depositio
vere, necessario & non præsumtive tantùm concludit.

IV.

Secundo per confessionem extrajudicialem quæ fit
extrajudicium vel in judicio, sed non coram iudice pro tri-
bunali sedente, *Rutger. Ruland. de Commis. part. 4. lib. 8. cap. 10. n. 21.*

V.

Confessio autem hæc non præjudicat tertio sed soli
confitenti. Et proinde confessio auctoris non nocet suc-

cessori in quem jus translatum erat ante confessionem, se-
cus si confessio ab autore facta fuerit ante translationem
juris, *Pet. Surd. consil. 60. n. 1. vol. 1.* Nec confessio Procura-
toris præjudicat domino, etsi fuerit omnium bonorum ge-
neraleque habuerit mandatum; quia hic administrare non
vero perdere debet, *Cacheran. decis. Pedem. 38. n. 6. Francisc.
Viv. decis. 384. n. 4. & 6. lib. 2.* nisi procurator speciale man-
datum habuerit ad confitendum vel acceperit mandatum
cum libera, aut præsentem & tacente Domino confessio fu-
erit facta *Vincent. Caroc. decis. 60. n. 8.* Nec confessio advoca-
ti nisi facta sit sciente & ratificante cliente, *Gratian. discept.
forens. tom. 1. cap. 3. n. 8. & seq.* Nec Prælati Ecclesiæ, *Matth.
de Afflict. decis. 168. n. 2.* Nec vendentis emtori post trans-
lationem dominij, *Pet. Surd. decis. 218. n. 6.* Nec donantis
post donationem, *Surd. decis. 218. n. 6.* Præjudicat autem Tu-
toris confessio pupillo, *Gilhaus. in arb. Civil. cap. 6. part. 1. §.
115.* Defuncti heredi, *Anton. Fab. in Cod. lib. 4. tit. 14. defi-
nit. 17.*

VI.

De revocatione confessionis tenendum quod regula-
riter revocari non queat, *Alciat. de presunt. regul. 3. presunt.
21. n. 3. & 11.* Nisi de errore facti doceatur, *Alciat. ad l. post-
quam n. 15. Cod. de edend. Rutger. Ruland. lib. 8. cap. 10. n. 9.* Quo
casu etiam geminata revocari potest, *Myns. respons. 57. n. 15.
jurata, Steph. Grat. disceptat. forens. tom. 3. cap. 501. num. 27. & 28.
Acceptata, Stephan. Gratian. discept. forens. tom. 4. c. 706. item
in casu termini ad deliberate respondendum dati, Joh. Si-
chard. ad l. un. n. 4. C. de error. calcul.*

VII.

Tertio per famam, cujus requisita sunt i. ut constet de
ejus autoribus illique certi sint, si enim incerti sunt nec de
iis constare potest, pro vano habetur rumore, *Caccia'up. in
repetit.*

reperit. l. admonend. n. 167. l. de jureiur. 2. Ut processerit à fide dignis, non levibus, suspectis, malevolis, inimicis & interesse habentibus in re vel causa de qua fama spargitur, *Menoch. de presumt. lib. 1. quest. 1. n. 44. Matth. Brun. consil. 64. n. 27. vol. 1. Borgnin. Cavalc. decis. 186. n. 6. part. 1. tom. 1.* 3. Ut ex rationabili causa sit profecta, *Tholozan. decis. 380. n. 13.*

IIX.

Fama autem probatur per instrumenta per testes minimum duos omni exceptione majores, qui 1. deponere debent à quibus audierint famam, ut nempe constare possit utrum à fide dignis & honestis an à suspectis & malevolis originem habeat, 2. Se publice seu à majori parte hominum in eo loco existentium id audivisse, vel prius nominare debent aliquos è quibus audiverint, & addere se à pluribus alijs id audivisse quorum jam non recordentur, non autem sufficit quod dicant se id audivisse à diversis personis vel suis majoribus, quia tales locutiones venificari possunt etiam in duobus. 3. Exprimere debent locum, ubi audiverint & ubi fama vigeat, tempus, & probabilem causam unde nam originem duxerit fama adsignare debent. 4. Tenentur etiam rationem edere sui dicti & depositionis 5. Dicere debent quid sit fama, nec sufficit si dicant famam publicam esse quod publice dicitur, sed respondere tenentur famam publicam esse id quod à Majori parte Civium seu vicinorum communiter dicitur, *per Dd. quos recensuit Hunn. in Encyclop. part. 2. tit. 17. cap. 2.*

IX.

Quarto per libros mercatorum & aliorum, fit semiplena probatio. Libri mercatorum, contra alium non mercatorem semiplenam tantum faciunt probationem, quemadmodum aliorum libri, sed hisce conditionibus 1. Ut producens sit integra & bonae opinionis, 2. Ut propria ipsius manu sit scriptum.

A 3

3. Ut

3. Ut veritatē scribere consueverit, 4. Ut expressim causam debiti contineat, Et 5. tam credita quam debita tam data quam accepta. 6. Annumque & diem, *Myns. cent. 5. Obs. 77. Gail. lib. 2. Obs. 20.*

X.

Quinto per Scripturam privatam I. alicujus defuncti si scil. fuit hominē bonæ famæ & opinionis, *vid. l. 6. C. de probat.* ubi dicitur scripturas defuncti solas ad probationem non sufficere, unde concluditur à sensu contrario cum alijs adminiculis concurrentes facere probationem semiplenam, quæ suppleri possit vel per juramentum suppletivum vel per testimonium unius testis.

XI.

Sexto per præsumptiones & conjecturas graves, evidentes, urgentes & magni momenti conjunctim sumtas, *Bocer. Class. 6. disput. 25. n. 32.* Ut autem hæc conjunctio plenam probationem operetur, requiritur ut quælibet illarum imperfectarum in sua specie sit perfecta, ut sint ejusdem generis, & ad idem factum tendant, & ut in causa Civili.

XII.

Hæ autem semiplenæ probationes dictæ fieri potest, ut plene probandi vim tandem habeant I. quando duo vel tres semiplenæ probationes conjunguntur & copulantur, *Menoch. lib. 1. q. 41. per tot. de præsumt.* 2. Vel una probatio semiplena juramento suppleatur.

XIII.

Requisita juramenti suppletorii sunt I. Ut præcedat semiplena probatio, ex præsumtionibus enim & conjecturis, nisi graves evidentes urgentes & tanti momenti sint ut conjunctim faciant semiplenam probationem, non deferretur juramentum suppletorium. 2. Quod jurans sciat verisimiliter

ter

ter veritatem per sensum corporeum, *Myns. lib. 1. obs. 68. n. 3.*
Nec sufficit quod facti habeat notitiam ex relatione aut
informatione aliorum. 3. Ut contra semiplenam probati-
onem præsumptiones & conjecturæ non sint in contrarium,
Myns. cent. 5. obs. 68. n. 3. 4. Partis adversæ facta sit Citatio, si-
quidem de ipsius maximo agitur præjudicio, *Gail. lib. 1. Obs.*
208. 5. Ut causa ejusmodi sit in qua juramentum hocce lo-
cum habere queat, ubi pro regula potest poni juramentum
in omnibus causis locum habere quæ non sunt exceptæ.
Sunt autem exceptæ causæ Criminales, siquidem actor lu-
ce meridiana clariores probationes habere debeat, *Gail. lib.*
2. obs. 92. Causæ injuriarum *Rutger. Ruland. de commiss. par.*
4. lib. 6. c. 10. memb. 5. num 14. Causæ matrim. nisi in casu pro
matrimonio & plusquam semiplene probatum est, & præ-
ter semiplenam probationem insignis est præsumtio. Cau-
sæ magnæ & arduæ, ob suspicionem perjurij ratione magni
commodi, nisi plusquam semiplene probatum sit. Cau-
sæ spirituales. Causæ famosæ in quibus damnatus efficitur
infamis, *Vurmser. tit. 14. obs. 12. n. 1.* in his actori non defer-
tur sed tamen reo *Matth. Berlich. lib. 1. conclus. 39. n. 20. & seq.*
part. 1. Causæ beneficiales *Berlich. p. 1. concl. 39. n. 28.* Feu-
dales *Ludolph. Scrad. part. 9. part. 2. sect. 13. n. 167.* In casibus
quando agitur de exceptione Excommunicationis vel
banni in vindicatoriæ probanda. Quando agitur de pro-
banda ingratitude liberorum ob quam exheredandi ve-
niunt. In casibus sententiæ impugnandæ vel rescinden-
dæ. Fidejussoris adferentis se debitum solvisse pro debito-
re. Existentium præsumptionum & conjecturarum contra
semiplenam probationem. Poenæ debitæ vel ex delicto vel
ex lege vel ex conventionem. Præscriptionis. Dolus cujus al-
terum insinudo. Item casu quo Lex vel Statutum certum
numerum testium vel instrumenta pro formali solennitate
requi-

requirit. Quando iudex in sententia probationem alicui injunxit. In casu examinati testis ad perpetuam rei memoriam. Et tandem quando testes sunt singulares & unus hoc & alter illud deponat. *per Dd. qui sparsim de hisce materiis scripserunt.*

XIV.

Defert autem iudex illi qui semiplene probavit sive actori sive reo, *cap. ult. extr. de jurejur.* Si vero uterque semiplene probavit tunc attendenda qualitas & sexus personarum & ditiori, legali & honestiori & masculino generi defertur. Si autem reus & actor pares sunt dignitate sexu & alijs qualitatibus tunc Reo erit deferendum.

XV.

Deferendum etiam est personis honestis & integre existimationis. Quare excluduntur infames, suspecti de perjurio, perjuri, faciles ad jurandum, usurarii manifesti, Excommunicati. Iudæis quia non reperiuntur prohibiti, item spurij deferri potest siquidem honeste viventes nulla laborant infamia *l. 3. & 6. ff. de decur. Matth. Berlich. d. concl. 38. n. 68. p. 1. Myns. cent. 5. obs. 6.* Deferendum & est illi cui melius cognita rei veritas, *per Dd. in l. admonendi ff. de jurejur. l. in bon. fid. Cod. cod.* Hinc est quod non deferatur heredi, & delatum defuncto, nondum præstitum, in heredem non transeat ob præsumptionem ignorantie alieni facti *l. generaliter C. de tit.* Si tamen constat eum cui delata fuit jurandi Conditio paratum fuisse ad jurandum, deinde priusquam juret moriatur, tunc ipsius heredibus jurare conceditur, si modo ullam scientiam habeant, imo perinde habetur ac si defunctus jurasset fitque adjudicatio ejus heredibus, *Myns. cent. 1. obs. 13. Jacob. Thoming. quest. 45. per tot.* Regulariter autem probatio per juramentum ad heredes non transit & juramentum inviti præstare non coguntur *l. Marcellus §. pen. ff. de act. rer. amor.*

XVI. lu-

XVI.

Judex in quacunq[ue] parte judicij etiam post conclusi-
onem potest deferre. Pars autem post conclusionem sibi
deferri non potest petere, sed ante terminum probatori-
um elapsu[m], *Gail. lib. 1. pract. Observ. 108. n. 4. & seq. Menoch.
lib. 2. arb. quest. cas. 464. n. 29. Ruzger. Ruland. de commiss. part.
4. lib. 6. c. 10. memb. 5. n. 11.*

XVII.

Effectus juramenti suppletivi sunt 1. quod judex pro
eo qui juravit judicare debeat, *l. 3. ff. de jurej.* ita ut actore ju-
rante reum condemnet, jurante autem reo ipsum absol-
vat, *l. jusjurandum §. fin. eod.* 2. quod non rescindatur nec
revocetur semel præstitum. Excepto casu instrumento-
rum de novo reperorum, si enim post illud nova reperta
fuerint instrumenta quibus intentio ejus contra quem ju-
ratum est, verificari possit, rescinditur judicatum, & caus-
sa de novo agitur, *Matth. Berlich. concl. 38. n. 74. part. 1.* Te-
stes in contrarium non admittuntur propter metum sub-
ornationis. Rescissio autem supra dicta fit ipso jure non
restitutione in integrum *in l. enim admonendi ff. de jurejur.* si-
quidem ibi dicitur permitti constitutionibus Principum
causam ex integro agere, atque ita jure Civili, si hoc, non
opus est restit. in integrum *l. in causa de minor.* 3. Ut dela-
tum à judice recusari non possit, unde vocatur necessari-
um, nec revocari, antequam præstetur, nisi ex fontica
caussa, judex enim si cognovit post delatum juramentum
hominem esse levem potest revocare juramentum ne per-
jurium committatur. *Berlich. per Dd. ibi recensitos.*

XIX.

Ita hætenus quomodo semiplenæ probationes supplean-
tur ut plene probent. Sunt casus in quibus semiplenæ pro-
bationes absque suppletione pro sufficienti probatione ha-
bean-

B

bean-

beantur. Et in genere 1. in illis causis quæ difficilis sunt probationis qualia sunt ea quæ in occulto atque remotis arbitris ac testibus fieri solent *Gail. lib. 2. præct. Obs. 93. n. 18. & per Dd. alios.* 2. In antiquis *Menoch. lib. 2. arbit. judic. quest. c. f. 115. n. 1.* 3. In probandis ijs quæ in animo consistunt & in conscientia alicujus conquiescunt cujus generis est dolus *Gail. obs. 48. n. 24. & obs. 110. n. 7. lib. 2. metus Boer. decis. 101. simulatio. Menoch. lib. 2. arbit. quest. cas. 257. n. 1.* 4. in probanda innocentia *Myns. cent. 13. per tot.* 5. In causis summarijs, *Coler. de process. execut. part. 3. c. 1. n. 62.* 6. Ad excludendam doli præsumtionem *Serader. de Feud. part. 9. sect. 12. n. 39.*

XIX.

In specie ut sequamur ordinem ante recensitum semiplenarum probationum I. Vnicus testis plenam facit fidem in causa summarij possessorij super possessorio deponens. In criminalibus cum de innocentia ac defensione rei probanda agitur. Hinc uni testi ad evitandam calumniæ poenam fides plena habetur. 3. quando item de proprio suo facto in causa aliena deponit modo nullum ipsius in eo versetur interesse, sed de alterius solummodo utilitate agatur v. g. de baptismo alicujus testificanti *per Dd. qui de his materijs scripserunt.* Non vero creditur ei in præjudicium tertij. *Menoch. lib. 2. arb. quest. cas. 99. num. 12. & seq.* 4. Quando testis communi partium consensu electus est *Serad. de Feud. part. 10. sect. 9. n. 105.*

XX.

II. Confessio Extrajud. geminata & iterata per intervallum distinctis vicibus, adeo ut non solum probationis habeat effectum sed obligationem & actionem etiam inducat *Surd. decis. 10. n. 8. Iurato facta Rutger. Ryland. de commiss. part. 4. lib. 8. c. 10. n. 4. in fin.* Facta in supplicatione *Gilhaus. in arb. jud. civil. c. 6. part. 1. §. 113. per tot.* In epistola, In
instru-

instrumento publico *Gilhaus. in arb. judic. Civil. c. 6. par. 1. §. 101. n. 3.* In libro rationum. In qualibet scriptura quæ à parte parti consignatur, altera parte quantumvis absente. In caussis spiritualibus, & exonerationem conscientie concernentibus. In foro pœnitentiali. In causa dotis ob favorem dotis. In casu quo Creditor confitetur sibi solum debitum ob favorem liberationis *per Dd.* quamvis alij sentiant præsentiam alterius partis hoc in casu esse necessariam *Myns. cent. 4. obs. 5.* ut à Parte præsentate acceptetur *Gail. lib. 1. obs. 55. n. 8.* Alij nolunt maxime quando Confessio favorem ac commodum partis præsentis concernit cum hoc casu præsens & tacens consentire videatur.

XXI.

III. Fama quæ plene probat 1. in antiquis & memoriam hominis excedentibus, 2. In illis quæ in longinquo loco contigisse dicuntur. 3. & quæ difficilis vel impossibilis sunt probationis 4. in docenda virtute, nobilitate & dignitate hominis *l. 7. C. de postuland.* 5. in caussis levibus & modici præjudicij. 6. In probanda morte alicujus qui in periculo vel naufragio perijsse dicitur, *Gilhaus. arb. jud. c. 6. par. 1. §. 265. n. 3.* si non de magno præjudicio agitur alias non. *Boer. decis. 288. n. 1. & seq.* 7. in probandis confinibus *Gilhaus. d. §. 265. n. 3.* 8. in probanda mala fide ejus qui se fundat in præscriptione *Gilhaus. in d. §. 265. n. 2.* 10. In probando titulo patronatus, *Gilhaus. d. §. n. 3.*

XXII.

IV. Libri Mercatorum, inter ipsos Mercatores atque in foro ipsorum ubi semiplena probatio valet pro plena vim plenæ probationis habent, *Gail. lib. 2. Obs. 20. n. 6. & 7.* Item 2. libri sociorum inter ipsos socios, 3. Libri officialium publicorum eorumque prothocolla, 4. Libri æstimi sive catastri in quibus descripta sunt bona subditorum pro

collectarum exactione inter communitatem quæ fieri fecit æstimum, 4. Libri Collegiorum *Zunffbücher* inter eos qui sunt de tribu, 5. Libri Magistratus in quibus describuntur ea quæ senatus egit contra subditos, 6. Librum Parochorum sive Plebanorum vulgò *Tauffbücher* / 7. Libri Parentum quibus consignarunt parentes liberorum suorum annum mensem diemque nativitatis *per Da.*

XXIII.

V. Scriptura Privata pro scribente plene probat quando ab adversario in iudicio est producta cum producens censeatur hac ipsa productione non solum approbasse scripturam sed & omnia ejus contenta confessus esse *Menoch. lib. 2. presunt. 43. n. 1. & per tot.* Quod si autem impugnandi animo fuerit producta non censeatur approbata quare tum producenti non præjudicat *Cothman. respons. 45.* Sed quid si producens protestatus fuerit quod tantum in partibus proficuis & utilibus producere velit, tum distinguendum putamus ita ut si producta scriptura contineat capitula connexa & indivisibilia tunc protestatio non relevet, secus, si contineat, *Guid. Pap. decis. 503. 2.* Quando sigillo Principis Comitis civitatis Universitatis aut collegij alicujus roborata est modo eorum jussu & voluntate factum est, quod tamen factum in dubio præsumitur, *Men. de arbit. quest. judic. cas. 113. n. 8.* & tantam fidem meretur ut nec adminiculo comparationis nec recognitionis indigeat. 3. Quando in Archivo publico est recondita & inde depromta, *Rutger. Ruland. de commiss. & commiss. part. 2. lib. 5. c. 8.* In quo casu hæc sunt requisita 1. Ut archivum sit in loco publico atque in eo publica & authentica instrumenta custodiri & asservari solita fuerint, 2. Ut ab archivista peculiariter ad hoc constituto asservetur. 3. Ut in isto consueverint reponi & asservari instrumenta quæ pro publicis in-

eis instrumentis fuerint habita & literis inde depromptis fides fuerit habita. 4. Ut adsit testimonium archivista attestantis scripturam esse illius archivi. 5. Ut archivus civitatis Universitatis vel Collegij voluntate superioris sit erectus, non enim quidvis sibi archivum erigere potest. His ita concurrentibus non solum in sed extra territorium Domini ad quem archivus spectat talis scriptura fidem facit per Dd.

XXIV.

Tantum de semiplena probatione, jam de modis quibus quis ab onere probandi relevetur agendum erit. Et fit hoc Primo per Indicia certa & jure recepta *l. 19. C. de rei vind. l. 20. l. 21. l. ult. C. de probat. l. 15. C. de jur. dot. l. 10. C. arb. tut.* Et potest describi quod sit argumentum facti alicujus commissi demonstrativum seu indicativum quod probari debet. Quo discernitur à præsumptione, quæ dicitur probatio non probata (in lata significatione vocab. probationis) quia non opus est præsumptionem probare. Indicia vero sunt probatio probata & non probant nisi probentur. *l. fin. pr. ff. de question. Gilhaus. arb. jud. crimin. cap. 6. part. 4. de præsumt. n. 69. 70. 71.* Indicium autem quomodo probetur tractavit Mascard. de probat. Concl. 806. per tot.

XXV.

Indiciorum autem doctrina quia maxime patet in materia Criminali ad eam applicabimus. Et possunt dupliciter considerari l. quatenus scil. omnibus delictis sunt communia, quæ rursus sunt, vel Verisimilia seu probabilia, quæ quidem veram esse rem arguunt non tamen semper, sed plerumque tamen, unde etiam non dicuntur simpliciter certa indicia, sed verisimilia & probabilia, seu veluti certa judicia *l. 8. §. oportet C. de quest.* quæ etiam dubitata remota & semiplena dicuntur. Exempla verisimilium in-

Delictorum sunt 1. Fama, Vita ante acta, personæ qualitas si
 nimirum levis est persona & vilis. 2. Quando aliquis in ea-
 dem domo & vicinia ubi homicidium stuprum incendi-
 um est commissum est deprehensus, unde forma pedis in
 nive in terra humida si respondeat formæ pedis accusati
 indicium facit verisimile contra accusatum. 3. Conver-
 satio cum hominibus facinorosis. 4. Inimicitia capitalis
 quæ reo cum læso intercessit. 5. Spes alicujus lucri & com-
 modi si nempe delatus ex morte alicujus hereditatem, ali-
 udve commodum speraverit, aut dignitatis prerogativam,
 officij munerisve successionem expectaverit. 6. Inculpa-
 tio vulnerati in articulo mortis constituti. 7. Fuga. 8. Va-
 riatio & inconstantia sermonis. 9. Animi trepidatio. 10.
 Physiognomia mala. 11. Taciturnitas inculpati. 12. Oc-
 cultatio delicti. 13. Collocutio in aurem. *Carpzov. in pract.
 nov. Imp. Saxon. Rer. Criminal. part. 3. quest. 120. per 101 cum ibi
 allegatis Dd.*

XXVI.

Vel certa & indubitata quæ & gravissima dicuntur,
 quæ communiter ac vere in suo genere concludunt ad de-
 lictum inferendum quæ etiam plena & propinqua dicun-
 tur. Cujus species sunt 1. si nempe res aliqua in loco per-
 petrati Criminis sit reperta quæ ad delatum spectavit, 2.
 Attestatio unius testis de actu immediate deponentis. 3.
 Nominatio socij Criminis, quando nempe convictus re-
 us qui socios criminis habuit, eosdem nominavit. 4. Con-
 fessio Rei extrajudicialis. 5. Minæ quas jactasse dicitur ei
 qui casus est. 6. Transactio & pactio rei pretio numerato.
 7. Auxilium & præsidium hominibus facinorosis præsti-
 tum ut si quis eos scienter & dolose receperit, delictum oc-
 cultaverit, res ablatas vendiderit, de iisdem participave-
 rit, aliove modo ijs adjumenta administraverit, *vid. Carpzov.
 in pa-*

*in pract. nov. imp. Saxon. Rev. Criminal. part. 3. quest. 121. per
tor. cum ibi allegatis.*

XXVII.

II. Quatenus certorum maleficiorum sunt propria, ut puta I. in crimine homicidij si in loco delicti quis deprehensus fuerit cum armis, aut vestimentis sanguine conspersis. 2. In crimine Veneficij, si accusatus sive inquisitus venenum præparaverit aut emerit. 3. Infanticidij si virginis uterus successive intumescat, & mox macra & livida existat. 4. Furti si res rapta aut furto ablata penes accusatum vel inquisitum reperiatur. 5. Incendij si quis clandestine & occulte præparavit igneas faces vel tela ignea vel alia fomenta succedentia, quæ commode possunt in ædes vel alia ædificia immitti, & paulo post incendium exortum sit. 6. Proditionis, si quis furtim præter morem & quidem dolose intraverit domum ejus qui postea proditus est. 7. Falsæ monetæ si talis moneta vel instrumentum ad eudendas monetas aptum fuerit penes aliquem repertum. *de Carpzov. quest. 122. per 101.*

XXIX.

Secundò per præsumtionem, quæ vel Iuris & de Iure quæ & necessaria dicitur. Ducitur hæc à naturalibus & necessarijs principijs; quare necessum est, ut res illa ex qua præsumitur, & id quod præsumitur, sese mutuò arguant, ut causa naturalis, vel substantialis & ejus effectus, vel ut subjectum & proprium ac perpetuum adjunctum, vel ut genus & species, vel ut opposita quorum uno affirmato, alterum negatur. Sic pretij numeratio pro re aliqua indicium est certum emtæ illius rei, siquidem pretium sit substantia emtionis, *Bocer. class. 6. Diffut. 25. n. 11.* Corporum commixtio indicium est certum matrimonij in his personis quæ legitima de futuro sponsalia ante corporum commixtio.

mixtionem contraxerunt *c. 15. qui fidem 30. X. de sponsal.* Similiter hujus generis indicium est adulterij si quis consanguineus mariti solus & nudus cum ejus uxore sola & nuda visus fuit in lecto jacere *eodem c. literis 12. X. de presunt.* Certum & indubitatum quoque mutui indicium est cautio scripta qua quis sibi pecuniam numeratam esse fatetur modo biennium à tempore datae cautionis exierit *per text. in §. 1. & §. fin. Inst. de liter. oblig. l. si inera §. in fin. & l. in contractibus 14. pr. & §. illo. C. de non numerat. pecun.*

XXIX.

Hæc contrariam probationem non admittit regulariter *l. ult. in pr. ubi gl. in verb. presumptioni ff. quod met. causa.* Nisi per testimonium quinque testium vel etiam trium aut duorum maxime tamen classicorum seu legalium. *Bart. in l. generaliter n. 9. C. de non numerat. pecun. Menoch. de presunt. lib. 1. questionib. 63. 64. 65.* Et per confessionem, quæ in judicio super his quæ in confitentis potestate posita sunt facta est, nulla enim major & validior probatio proprii oris confessione *l. unic. C. de confess.* Et tandem per rei evidentiam & notorium permanens *Rosbach. prax. civil. tit. 64. n. 28. 29. 30. 31.*

XXX.

Vel Præsumptio juris cum lex aliquid pro vero concipit & adsumit usque dum aliud probetur, ut si probo Caiam Sempronij uxorem esse & cum eo cohabitasse probemque Caiam Lucium peperisse inde verisimiliter sumitur Lucium Sempronii filiam esse *l. filium ff. de his qui sunt sui vel alien. jur.* Item si probo Chirographum quod me tibi centum debere professus sum esse cancellatum inde juris præsumptio orietur me tibi satisfacisse *l. si Chirographum de probat.* Quorum exemplorum sexcenta alia Alciatus & Menochius collegerunt. Et licet judicis in arbitrio positum

tum

tum velint Doctores præsumtio certa aut verisimilis fiet nec ne, quia tamen ex naturali conjunctione & affectione quæ est inter indicium probans, & rem quæ probatur, ducenda est præsumtio, iudex qualis sit quæque præsumtio facile intelliget. *Bocer. class. VI. Disp. 25. n. 30.*

XXXI.

Præsumtio hominis est quæ ducitur ex eo indicio quod rem probandam ita leviter afficit ut de ea fidem levem & exiguam faciat, unde illa iudicem nihil movere debet conjuncta tamen cum alijs, ad miniculum quoddam adferet. Levibus enim argumentis pluribus re quodammodo probata si non contrarijs præsumtionibus enervata sint, locus est juramento suppletorio ex parte actoris & quandoque ex rei parte purgatorio juramento. *Bocer. d. disput. de præsumt. n. 32.*

XXXII.

Sedes & loca è quibus duci & ad quæ omnes conjecturæ referri possunt quæ existimet *Menoch. apud eum de præsumt. quest. 13. n. 8.* & aliquot sequentibus quæstionibus videre est. De ijs tractare per tempus non licuit. Illud tantum adhuc indicabimus ea præsumi quæ rei vel personæ alicui naturaliter insunt semper inesse. Item quod melius & honestius. Item quemque id fecisse aut facere voluisse quod jure ipsum facere oportuit. Quod credibile quod verisimile. Quæ communiter fieri soleat. Nec præsumi mutationem, siquidem in suo statu perdurare existimatur quodcunque.

XXXIII.

Tertio per Iusjurandum litis decisorium. Et quod species sit se ex onerandi à probatione dicitur *l. 30. pr. ff. de jureiur.* Vnde si alicui per sententiam injuncta sit probatio non satisfat sententiæ si is adversario deferat judiciale jura-

C

men-

mentum *Serzer. lib. 4. c. 2. n. 39. & seqq.* Multa habet commu-
nia cum juramento suppletivo. Et est vel voluntarium vel
judiciale. Illud ex libera partium voluntate defertur & su-
scipitur, hinc etiam conventionem deferrere & præstari dici-
tur *l. 17. h.* Hoc ex parte ejus cui defertur non est voluntari-
um, cum illud vel referre vel præstare cogatur nisi conde-
mnari velit *l. manifesta eod.* Et deferrere potest hoc juramen-
tum licet nihil actor probaverit. *d. l. manifesta 38. h.* Nec obstat
reg. actore non probante reus absolvitur, siquidem hoc ad
actorem jusjurandum deferentem applicari non potest, de-
latio quippe juramenti ita actori tributa est ut si adversa-
rius recusavit, statim ea res actori pro justa probatione ce-
dat, reus siquidem pro confesso aut convicto habetur nisi
juret aut referat *d. l. 38.* Et præstandum est intra terminum
probatorium. *Rauchbar. in quest. post non admittitur.* Potest
tamen ex justa causa termini nondum elapsi prorogatio
peti & impetrari *Berlich. part. 1. conclus. 20. n. 22.* Et in pro-
pria Persona præstandum, quippe regulariter per procu-
ratorem præstari non potest *l. 12. §. his de presentibus C. de
reb. cred. & jurejur.* nisi deferens permittat Procuratorem
præstare *l. 9. §. jusjurandum 6. h.* Illustres & aliæ egregiæ Per-
sonæ item honestiores matronæ in persona quidem præ-
stant juramentum, non autem in loco publico judicij, Sed
in ædibus *l. ad personas egregias 15. eod. Nov. 124. c. 1. vers. si ve-
ro.*

XXXIV.

Cogitur autem deferens prius jurare quod non mali-
tiose deferat *l. 34. §. 4. de jurejur.* Quod si autem deferens
nolit hoc jusjurandum præstare perinde habere debet ac
si principale juramentum ab eo cui delatum est præstitum
esset, cum pro remisso habeatur. *l. 37. si non fuerit. h.* Ad eò
ut licet deferens ante præstiterit generale juramentum ca-
lumniam non tamen alter juramentum litis decisivum præ-
stare

state cogatur, quam si & speciale juramentum calumniae
deferens prius praestiterit si modo hoc petatum fuerit *Serz.*
lib. 4. c. 5. n. 18. XXXV.

Juramentum autem ita delatum potest etiam si acce-
pretur revocari *l. 11. C. b.* si justa subsit causa, uti si pars defe-
rens dicat se probationes vel instrumenta post delationem
jurisjurandi noviter reperisse, quibus jus suum prosequi
& intentionem suam probare velit *d. l. 11. C. b.* tunc enim us-
que ad sententiam revocari potest, item si alicui fuerit de-
latum & alter qui acceptavit petit dilationem, tunc intra
istum terminum deferens poenitere potest *Nicol. Boer. decis.*
243. n. 2. Haec autem delatio si fuerit revocata non potest am-
plius de istis probationibus diffidens denuo juramentum
deferre *d. l. 11. Cod.* Revocatione facta, si nihilominus is cui
delatum est juret perinde habetur ac si absq; delatione ju-
rasset cum revocatio extinguat delationem.

XXXVI.

Potest item remitti, quod fit quando praestare parato
gratiam facit contentus voluntate suscepti jurisjurandi *l. 5.*
§. ult. l. 32. b. Remissio autem ejusmodi potest & fieri absentem
per epistolam *l. 41. b.* Hujus remissionis effectus sunt ut per
eam intentio ejus cui remissio facta est, probata, atque cau-
sa censeatur esse decisa, exindeq; reus exceptionem, actor
vero actionem acquirat, perinde ut ex re judicata nascun-
tur exceptio & actio *Serzer de juram. e. 6. n. 16. & 23.* Decisa ita-
que per remissionem causa ne perjurij quidem praetextu
revocari potest *l. 1. C. b.* XXXVII.

Recusatur autem ex justa recusandi causa si nempe de-
ferens nolit juramentum calumniae prius praestare. Si causa
ipsi incognita sit, *VVurmser. tit. 14. obs. 11.* Si is cui defertur
vir est honestus & deferens levis, quia hoc casu pæsumi-
tur idcirco juramentum esse delatum quod deferens speret

illud à viro honesto non præstitum sed sibi relatum iri *Setz.*
lib. 4. c. 3. n. 41. & cap. 8. n. 12. Si deferens prius testes produxit
per quos intentionem suam non probavit, hoc casu posse
recusari putant nonnulli, sed alij contradicunt. Item si u-
nus ex pluribus coheredibus sive dominis cœteris invitis
vel ignorantibus jusjurandum defert propter periculum
perjurij quia alter probationibus convincere possit *Berlich.*
part. 1. conclus. 22. n. 25. 27. Et si tandem quis præsumtionem
habet pro se, hac enim quis ab onere probandi quidni o-
nere jurandi relevetur *Thoming. decis. 45. n. 5. Vvesenb. ad tit. de*
jur. & fact. ignorant. in fin. XXXIIX.

Relatum jusjurandum à deferente præstandum *l. 34. §.*
7. h. nisi ignorat rei veritatem, hoc casu tamen Credulita-
tis juramentum præstet. *Berlich. conclus. 32. n. 50. part. 1.* Quod
si non præstare velit causa cadit, & reus ab impetitione i-
pſius absolvitur, *Rutger. Ruland. de commiss. part. 4. lib. 6. cap. 10.*
memb. 3. n. 5. & seq. Gilhaus. in arb. judic. civil. cap. 6. part. 6. n. 19.
Adcò ut non audiatur cui relatum est juramentum licet in-
tentionem suam probationibus docere velit *Berlich. concl.*
22. n. 56. XXXIX.

Effectus præstiti sunt quod habeat vim transactionis *l.*
2. h. Rei judicatæ, *d. l. 2. l. fin. §. fin. h. l. 8. C. eod.* Ita ut postquam
hoc jusjurandum præstitum est, non amplius quæatur,
quam utrum juratum sit, non vero an recte, an falso *§. item*
si quis postulante Inst. de act. l. 5. §. 2. l. 11. §. 3. h. Solutionis *l. 27.*
Novationis, acceptilationis, delegationis. *l. 26. §. fin.* Non
retractatur ex probationibus & instrumentis noviter re-
pertis prætextu perjurij. *l. 1. C. h. & arg. l. 19. C. eod.* quamvis de
causis ultimarum voluntatum aliud dispositum *l. fin. C. h.*
quod videtur in favorem specialem illarum constitutum.
Nec admittitur appellatio *l. 12. §. 3. h. C.* Quod ipsum non so-
lum in deferente sed etiam in referente obtinet *Setzer. cap.*
8. n. 13.

§. n. 13. Parit actionem & exceptionem l. 9. §. 1. l. 28. §. fin. b.
XL.

IV. Per confessionem judicialem. Quæ etsi majorem habeat certitudinem, quam alia quævis probatio, verius tamen est quod non sit probatio sed potius relevatio ab onere probandi *Andr. Alciat. ad l. 20. n. 52. C. de pact.* Ejus requisita sunt, ut sit facta libere nec ex errore l. 2. de confess. si enim error aliquis probari possit, quandoque revocari potest l. error. C. de Iur. & fact. ignor. l. de atate §. qui justo errore ff. de interrogat. act. idque locum habet in errore facti, veluti si confitear debitorem mihi debere decem aureos cum deberet viginti, hunc errorem si probavero per chirographum, revocare possum errorem, nec mihi nocebit confessio. l. sed et si me putem. de eond. indeb. Et hic error facti non solum in judicio ante sententiam revocari potest, sed etiam post, per viam restitutionis ex generali clausula, si qua justa causa esse videbitur. Secus est in errore juris qui non excusat. l. 2. & l. cum quis C. de Iur. & fact. ignor. quod tamen intelligendum in lucro faciendo ubi nocet, id est, nihil prodest nec excusat. l. 4. l. 7. cum seq. de jur. & fact. ign. l. error. C. ad L. Falcid. Gail. l. 2. observ. 48. in damno vero vitando non obest. l. 8. ff. de ign. jur. & fact.

XLI.

Sit certa ita ut exinde appareat quid quale quantumque illud sit de quo confessio facta est. l. 6. pr. eod. Verisimilis. Quod sit in loco judicij facta coram iudice pro tribunali sedente, atque in figura judicij promanarit. *Gilhaus. in arb. judic. civ. c. 6. part. 1. §. 102. n. 2.* Quod coram competente iudice sit facta. *d. Gilb. part. 1. §. 104. n. 2.* si enim fuerit coram incompetente facta pro extrajudiciali habetur, ac semiplenam tantum facit fidem. *Boer. decis. 90. n. 3. & 4.* nisi illius incompetentis jurisdictio fuerit prorogata. *Zaf. ad l. 1. n. 4. de confess.* Et ut sit facta post litem contestatam, si enim in

C 3

præ-

præparatorijs judicij fuerit facta extrajudicialis censebitur.
Rutger. Ruland. part. 4. c. 10. n. 22. Pupillo infanti etiam si
consensus tutoris accedat, confessio non nocet,
ratio est quia ejus ætas quicquid videt igno-
rat *l. 1. ff. de admin. tut. l. 1. C. de fals. monet. Vvesemb. in
parat. tit. 2. lib. 42. n. 3.* Infante autem majori, si autoritate
tutoris facta, nocet, *l. certum §. in pupillo C. de confess. l. cla-
rum C. de auth. præstand.* Minoris confessio autem valet et-
iam si facta sit sine autoritate curatoris *l. certum §. ult. de
confess. l. si ex causa judicati. §. 2. de minor.* sed gaudet restitu-
tione in integrum *l. 6. §. 5. h. Mascard. de probat. conclus. 371.
n. 2.*

XLII.

Effectus confessionis judicialis sunt, ut 1. habeat vim
rei judicatæ, faciatque ut confessus habeatur pro judicato
& condemnato *l. 1. l. 6. §. fin. de confess.* ita ut in confessum
non sint aliæ partes quam in exequendo *l. 25. §. fin. ad L.
Aquil.* Ut 2. ea nullis infringatur probationibus contra-
rijs *Alciat. ad l. 20. n. 52. Cod. de pact.* sed ipsa infringat omnes
alias probationes contrarias à confitente factas. *Pet. Surd.
decis. 10. n. 12.* Ut 3. infringat præsumptionem juris & de
jure, quæ alias regulariter in contrarium non admittit pro-
bationem. *Idem Surd. d. decis. 10. n. 2. 4.* Ut infringat sen-
tentiam pro confitente latam quæ in rem judicatam tran-
siit. *Scrad. de Feud. part. 9. sect. 13. n. 64.* Et ut in uno judicio
facta præjudicet confitenti in alio judicio, si quidem facta
in summario judicio præjudicat in plenario. *Gilhaus. in arb.
jud. civil. c. 6. part. 1. §. 102.* Et facta apud arbitrum facit fi-
dem apud judicem *d. Gilhaus. §. 102. n. 1.* Et in una instantia
nocet etiam in altera. *Anton. Fab. in Cod. l. 4. tit. 14. de fin. 17.
n. 1.* Et tandem ut inter alias personas quoque valeat &
noceat *Guid. Pap. decis. Gravianop. 254. per tot.*

XLIII.

XLIII.

V. Per Ocularem inspectionem, quæ est consideratio rei præsentis per visum veritatis cognoscendæ ergo per *l. si interruptione s. s. ad officium ff. fin. regund. l. 1. C. de canon. frumentario*. Quæ inter cætera necessaria est in finium disceptione sive terminorum districtuum & territoriorum *d. l. s. s. ad officium. fin. regund. Mascard. de probat. vol. 1. concl. 8. Rutger. Rul. de commiss. & commiss. part. 2. lib. 3. c. 4. n. 6. & 7.* In Damni infecti cautione cum nempe ruinosæ ædes inspectionem desiderant. *Rutger Rul. part. 2. lib. 3. c. 4.* Vti & in exploranda quoque juventute, senectute, *Menoch. de arbit. jud. quest. cas. 117. n. 1. Mascard. de probat. vol. 2. concl. 667.* imbecillitate seu infirmitate *Mascard. d. vol. 2. concl. 896. n. 3.* In inspicienda qualitate vulnerum, anne letifera, nec ne, an Medicorum, Chirurgorum, vel aliorum negligentia mortuus sit vulneratus, nec ne. *l. fin. & l. si semel s. causa C. de re milit. Damhoud. in prax Crim. c. 75. Mascard. de probat. vol. 1. conclus. 8. n. 10. & 11. Andr. Gail. lib. 2. Observ. pract. 111.* In inspiciendo ventre per obstetrices, vel peritas Mulieres, si dubitatur anne mulier ex marito soluto matrimonio sit gravis nec ne. *l. 1. l. 3. & tot. tit. de vent. inspic.*

XLIV.

Hanc inspectionem iudex vel ad petitionem & instantiam litigantium vel ex officio & proprio motu ocularem inspectionem de cernit. *Rutger. Ruland. part. 2. lib. 3. cap. 5. & cap. 2. in fin.* Plerumque post litem contestatam, quandoque, etiam ante, ut si testes ad perpetuam rei memoriam examinandi sint, idque commode fieri non possit nisi in rem præsentem deducantur, *Rutger. Rul. d. cap. 2. in fin. & c. 3. n. 2.* item in nunciatione novi operis, *Rul. cap. 3. n. 3.* Etiam publicicatis attestationibus usque ad conclusionem peti potest

potest. *Mascard. de probat. vol. 1. quest. 8. n. 10.* Quin etiam post conclusionem ex officio suscipi potest, ut & si res exegerit post rem judicatam in executionis puncto. *Rul. d. lib. 3. c. 1. n. 13. & cap. 3. n. 10.* Vtraq; pars ad eam citanda, cum ad actum præjudicalem citandi quorum interest. *arg. l. de uno quoq; 47. de rejud.* Et deputati cum Notario publico sive scriba judicij conveuire in rem præsentē debent, qui scribæ omnia diligenter conscribant quæ à partibus demonstrantur *Rutger. Rul. d. lib. 3. c. 10. & 12.* Et si testium depositionibus opus, citandi & examinandi. *Rul. lib. 3. c. 13. n. 3. & seq.* Ipsique Commissarij animum diligenter advertant ad ea quæ in re præsentī demonstrantur, & ad causæ merita, ut post judici inspecti loci rei conditionem cum omnibus circumstantijs re ferre queant. *Rul. lib. 3. c. 12. n. 6. & cap. 14. n. 3.* Si autem deputatus non sit persona judicij, exactam de scriptionem inspectionis ocularis addita ichnographia sive delineatione pictoris transmittere debet. *Rul. d. lib. 3. cap. ult.*

XLV.

VI. Per Notorietatem. In quo definiendo admodum discrepant auctores, nec in jure ullibi est definitum, quare arbitrio judicis relinquendum puto *Menoch. de arbitrar. quest. cas. 166. n. 7.* Quomodo notorium inducatur, & qui sint ejus effectus & quomodo probetur & quæ alia sint notabilia circa hanc materiam passim apud Doctores reperitur. Ego pro nunc in horum tractationē me diffundere angustiâ temporis prohibeor. Quare abrumpo paucis hisce & fiet

SOLI DEO GLORIA.

(X 2618226)



VGVRALIS

JJ.

IS PRO
ET MODIS
NERE PRO-
VETVR

1655, 13

16

M
TER ANNVENTE
ICTORITATE
SIMI ET AM-
DINIS IN IN-
LA 7ULIA

E
ONSVLTISSIMO ET
O VIRO,

Sahnen ICTO
ARIO P.T.DECANO
RII WOLFERBYTA-
AVTORE ET PRO-
ATEM OB-

DO
7VRE PRIVILEGIIS
IPISCENDIS
bijeit

SEL HILDESIENSIS
ORIO MAIORI,
ERIDIANIS,

TOBR.
AD II,
LER I, Acad. Typog.

v.

